



Seyfridus ille in Bauaria natus & educatus a teneris annis rebus bellicis diligentem operam dedit. itaque factum ut corporis & animi uirtutibus praeditus, inter equestris ordinis uiros prestantissimus atque rei militaris scientissimus ab omnibus habitus fuerit. Cum itaque duo Cæsares essent electi, Ludouicus Bauariæ, & Fridericus Austræ duces, grauiissimum bellum inter utrumque ortum fuit. In eo Ludouicus hunc Seyfridum ob maximum belli usum supremum ducem constituit, quod quidem officium assumpsit, & strenue administravit. Cum enim in prato proxime Muldorff utriusque Cæsaræ copiae constitissent, iam conflicturi, ipse suos milites in opportunum locum disponit, atque ipsum Ludouicum Cæsarem, mutata ueste, prope Aquilam in acie collocauit. balistariorum etiam omnibus praepedit, ut tela sua uersus unicum Fridericum dirigant, qui alto equo insidens Cæsareis uestibus inter suos uersabatur. Ex utraque postea parte infestis animis concurritur, atque prælium atrox & diu anceps committitur. Nam Bohemi ex parte Ludouici loco pelluntur, & pedem retro referre incipiunt. Tum Seyfridus illico laborantibus Boemis cum quibusdam cohortibus ad id destinatis succurrit, fugientes reprimit, & in suum locum restituit. Verum dolum etiam uirtuti adiecit. nam aciem suorum ita uertit, ut puluis in oculos & ora hostium ferreretur, & ex splendore armorum solis oppositione lumina hostium perstringerentur.